





65

BREVIS ET SVCCISA  
DE  
TEMPORE  
ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ,

qua  
in Programmatis vicem  
ad oratiunculas Poëtico - Dramaticas ,  
à frugi plenisque spe classis primæ discipulis,

finito jam feliciter examine anniversario,

*crastino die, prid. Non. Augusti, hora II.*

*Pomeridiana*

in auditorio consveto

*lingva gentica habendas ,*

quoslibet Philomusos cujusque sortis ac  
ordinis, ea, qua decet, pietate & humanitate,

*invitados vult*

PHILIPPVS Großgebauer  
Lycei Vinar. Rector.

---

VINARIÆ,  
Litteris MUMBACHIANIS.

*In actu hoc Dramatico representabunt*

Ver: JOHANN. CHRISTOPH. **Lairitz** / Neostad. ad  
Aischam.

Martium : WILHELMVS ERNESTVS CYPRIANVS  
Vinariensis.

Aprilem: JOHANN. ADOLPHVS **Born** / Sachsenburgens.

Majum: JOHANN. FRIDERICVS LEONHARDI, Apold-

Æstatem: JOHANN. ANDREAS **Penzig** / Schwvasdorf.

Junium: JOHANN. CHRISTIANVS **Zöllig** / Vinar.

Julium: NICOLAUS **Reise** / Buttstädiensis.

Augustum: JOHANN ANDREAS **Rothe** / Froemstad.

Autumnum: CAROLVS HENRICVS **Göbel** /  
Magdal.

Septembrem: JOHANN. LAVRENTIVS **Fleischmann** /  
Hannov.

Octobrem: JOHANN. GEORGIUS **Lairitz** / Wonfidel.

Novembrem; ADOLPHVS OTTO **Neder** / Daasdorff.

Hiemem: ALBINVS **Eichelborn** / Göttern.

Decembrem: JOHANN. CASPARVS **Ettel** / Ulrichshal.

Januarium: JOHANN. PHILIPP. **Röfpler** / Rödigsd.

Februarium: ERNESTVS FRIDERICVS **Voigt** / Vinar.

*Hoc felix faustumque esse jubeat alma Trias!*



## LECTORI SALVTEM!



Ere pariter atq; scite dixit olim augustissimū  
illud Patrum lumen Augustinus: *In tempore  
sumus, & quid sit tempus ignoramus.* Quo  
tacite tecteque subindicat, quanta nostro-  
rum oculorum aciem circumfundat caligo,  
quam spissæ sint etiam in naturalibus, &  
quæ sunt ante pedes, intellectus tenebræ, ut tempus, in  
quo nascimur, qui cum agitamus, quodque omnium actio-  
num nostrarum mensura est, nostra capi ratione vel nequeat,  
vel magna cum difficultate possit. Quot enim quæso spinarū  
hic, quibus fodiantur ingenia? quot ineluctabiles labyrin-  
thos? quot tricas, quot spinofulas contortulasq; & aculeatas  
heic invenim9 quæstiunculas, ut ingenia vel expolitissima in  
evolvendis iis langvescant & obtundantur? Ante omnia vero  
dispiciamus partes temporis, quoniam ex illarum notitia o-  
mnis nostra dissertatio, lumen aliquod fœnerabitur. Sunt  
autem illa, ex plerorumque opinione, tres, præteritum, præ-  
sens & futurum; illud est, quod fuit, istud quod est, hoc  
quod erit. De *tempore præterito* sapientissimus ait Stoico-  
rum Seneca: (a) Ex his, quod agimus, breve est: quod  
):( 2 acturi

(a) Senec. de brevitate vitæ c. 10.

acturi sumus, dubium: quod egimus, certum. Hoc enim, in quod fortuna jus perdidit, quod in nullius arbitrium reduci potest. Hoc amittunt occupati; nec enim illis vacat præterita respicere: & si vacet, certe injucunda est recordatio. Invidi namque ad tempora male exacta animum revocant, nec audent ea retentare, quorum vitia etiam, quæ aliquo præsentis voluptatis lenocinio subrepebant, retentando patefcunt. Hæc est pars temporis nostri sacro dedicata, omnes humanos casus supergressa, extra regnum fortunæ subducta, quam inopia, non metus, non morborum incurfus exagitat. Hæc nec turbari, nec eripi potest: perpetua ejus & intrepida possessio est. Singuli autem dies & hi per momenta præsentis sunt. At præteriti temporis, omnes cum jufferis, aderunt, ad arbitrium tuum se aspici & detineri patientur: quod facere occupatis non vacat. De *præsenti* idem sic ait: Præsens tempus brevissimum est, adeo quidem, ut quibusdam nullum videatur. In cursu enim semper est. Fluit & præcipitatur: ante desinit esse, quam venit, nec magis moram patitur, quam mundus, aut sidera, quorum irrequieta semper agitatio, nunquam in eodem vestigio manet. Solum igitur ad occupatos præsens pertinet tempus; quod tam breve est, ut arripi non possit, & id ipsum illis districtis, in multa subducitur. De *futuro* (b) quod si possit, inquit, quemadmodum præteritorum annorum, cujusque numerus proponi, sic futurorum: quomodo illi, qui paucos viderent superesse trepidarent, quomodo illis parcerent! Atqui facile est, quamvis exiguum, dispensare, quod certum est, id debet servari diligentius, quod nescias, quando deficiat. Et post paulo (c): decrepiti senes

pau-

(b) *Sen. c. 8. l. 6.*

paucorum annorum accessionem votis mendicat. Mino-  
res natu seipfos esse fingunt, mendacio sibi blandiuntur: &  
tam libenter fallunt, quam si fata una decipiant. Jam vero  
cum illos aliqua imbecillitas mortalitatis admonet, quem-  
admodum paventes moriuntur, non tanquam exeant de vi-  
ta, sed tanquam extrudantur. Hæc seneca. Quibus prælibatis  
primo num tempus in natura rerum sit, ambigi non immeri-  
to potest. Id enim non est, cujus partes non sunt: quippe ad  
totius naturam requiruntur duo, ut puta per partes consti-  
tuatur, & ut in eo partes copulatæ uniantur; sed quis dicat tē-  
pus partes suas actu habere, quum constet, nec præteritū, nec  
futurum, quæ temporis partes sunt, existere: Præteritum  
enim non est, sed fuit; futurum nondum est, sed erit. Ast  
præsens, inquires, vel instans, quod nunc alii & momen-  
tum vocant, temporis partem constituit, atque existit; sed  
adferentibus hoc alii respondent, instans indivisibile non es-  
se temporis partem, quia pars mensura totius est, id quod  
non præstare notum est instans indivisibile, nisi velimus è  
puris indivisibilibus conglutinare tempus. Sed quid respon-  
deatur ad hoc, è post paulo dicendis ad oculum patebit.  
Deinde si quærat, quid tempus sit, definitu difficile fate-  
tur ipse ἐκ περιπάτου Philosophus, qui omnes Philosophos  
Rhetoresque βασιλικῶ πῆχει ὑπερήνευκε regio cubitu, teste  
Vossio, (d) superavit. Veterum enim nonnulli, ait ille,  
volebant tempus esse conversionem, quod refellit & hoc a-  
riete labefactat, quia quælibet pars temporis est tempus,  
non autem quælibet pars conversio. Nam hæc motus loca-  
lis est, quæ ab eodem puncto per circulum ad idem pun-  
ctum reditur. Alii dicebant esse cœlum, quod ex eo refu-

):( 3

(c) Senec. l. c. c. 11. (d) Voss. l. 5. instit. orat. p. 371.

tatur,

tatur, quia hac ratione, quum plures cœli, plura forent tempora. Neque tempus motum esse, ut placuit quibusdam, ostendit, quia tempus non est ubique; sed in mobili, deinde quia motus dicitur velox aut tardus; tempus vero longum & breve, unde discriminis aliquid intercedere conjectat. Sunt, qui tempus idem esse, quod æternum impudenti ore præfractoque jactitant. Quam Hecaten pro Helena exosculantur Sociniani, Orci γενήματα, quorum pectora unxerunt Erebeæ felle colubra. Ita enim Goslavius (e) Sed querat hic aliquis: Ergo tu tempus æternum statuis, ut dicas, DEVM in tempore esse? Ego non video, cur negamus tempus æternum. Post brevi hos nectit argumentum; quod nostratibus dissolvendum propinat: *Præsens non est factum E. nec tempus est factum.* Consequutionis ratio hæc est: quod præsens oporteat esse temporis initum, si factum est. Antecedens duplici demonstrat ratione. Prima est, quod in præsentibus, illud fieri necesse fuerit. Unde patere dicit, tempus fuisse, antequam esset. Nihil enim in in præterito verum est, quod non fuerit verum in præsentibus. Secunda est, quod præsens sit indivisibile. Atqui indivisibilis motus nullus est, quia quisquis ille est, in quo est ad quem. Eadem cum eo tibi inflat Socinus. (f) Tempus, inquit, æternum est, quicquid Theologi nostri contra disputant, semperque & fuit & futurum est, ut præteritum aliquid & præsens & futurum sit. Non vero in mundi creatione, ut ipsi arbitrantur, tempus primum extitit, sed tantummodo temporis mensura quædam. Neque

(e) Goslav. contr. Kekerm. part. 2. c. 8. (f) Socin. prælect. c. 8.



que enim dies & noctes, ipseque universus cœlorum & solis, reliquorumque astrorum cursus, ipsum tempus sunt, ipsumque efficiunt, sed illud metiuntur tantum atque distinguunt. Verum enim vero si hæc Socinianorum liri-  
pipia ad stateram rationis ponderamus, à vero aberrare deprehendemus quam longissime. Nam hoc scias velim, Aristotelem tempus definisse per *numerum motus secundum prius & posterius*. (g) Ubi Averroës cumque eo intelligunt alii *numerum*, quo motus numeratur, hoc sensu: Tempus est numerus, quo numeratur motus secundum prius & posterius. Ast non recte definiri tempus videtur per numerum, quia tempus est quantitas continua, numerus discreta est, quæ duo à se toto cœlo differunt: & deinceps si tempus est motus secundum prius & posterius, oportet tempus sit non ens; eo quia partes temporis præteritum & futurum non sunt; illud quia fuit, nec amplius est; hoc quia nondum est, sed erit, quamvis celerissime decurrat. Verum ad primum id damus responsi tempus considerari dupliciter, primo secundum *materiale*, uti vocant in scholis doctores, quatenus idem est cum motu, vel duratione motus, quo significatu damus tempus esse aliquid continui; deinde spectatur habito respectu ad intellectum, qui partes illius motus vel durationis numerat, qua ratione tempus numerus est & quippam discretum, uti definitum fuit à Philosopho. Ad alterum quod attinet, distinguendum arbitror inter res permanentes & successivas: illæ partibus simul existentibus constant; hæ vero perpetuo fluxu labentibus, unde & earum

(g) *Aristot. l. 4. physicor.*

rum partes simul non existunt ; sed earum una intereunte , succedit alia , ut tamen præsentī copulentur præteritum futurumque : qua ratione existit id quoque , quod jam effluxit , & quod futurum est. Constituitur autem tempus præcipue in motu cœli ; quoniam , adfertore Pererio , (h) is est primus & causa aliorum , & minimus i. e. velocissimus , præsertim primi mobilis , & certissimus & maxime uniformis , & notissimus omnibus , & universalis apud omnes. Quoniam vero diversi sunt in cœlo motus , tempus etiam in triplici consistere affirmamus : Primum in motu primi mobilis , per quem sol facit dies & noctes : deinde in motu proprio solis , per quem constituit annos : tum in motu lunæ , ex quo numerantur menses. Quanquam vero tempus materialiter multiplicetur , secundum multitudinem motuum , nihilo tamen minus unum est tempus , uti loquuntur , formaliter , quoniam ratio præteriti , præsentis & futuri , in omni motu prorsus est eadem. Quod vero tempus æternum sit , ex Socinianorum sententia , dementare eos cum ratione judicamus. Enim vero tempus & æternitas oppositæ sunt durationis species , cujusmodi apud Metaphysicos tres constituuntur , *Æternitas* , quæ est duratio rei simpliciter indefectibilis ; *ævum* , quod duratio rei creati , naturaliter indefectibilis ; & *tempus* , quod est duratio rei creatæ , naturaliter defectibilis ; (i) Species autem oppositæ quum sint , quid dicamus tempus & æternum idem esse , atque æquivalere ? Certe ubi nullus motus , nullum mobile ; nullum prius , nullum posterius , nullum successivum & continuum , ibi nullum credamus tempus fuisse. Siquidem tempus

(h) Pererius l. 12. physic. c. 4. (i) vid. Suarez. disput. Metaph. 50.

pus est vel duratio entis mobilis & natura corruptibilis; vel mensura motus secundum prius & posterius. Sed quis dicat illa ante creationem fuisse? Quis statuatur prius, quam mundus conderetur, motum extitisse vel mobile, prius vel posterius? Quis tantus est baro vel bucco? Quis tam infrinitus, ut partes opinetur fuisse, quum non totum extiterit. Ante creationem nihil fuisse duce scriptura credimus, præter DEVM, qui rerum omnium fator est ac conditor; unde igitur tempus? Num in DEO & ipse DEUS? At absurdum est ei temporis differentias, præteritum & futurum tribui, qui absolute immutabilis est. Distingvit Socinus inter tempus & temporis differentias: illud æternum facit, has scriptitat initium cum mundo cepisse. Sed quis unquam Philosophorum sic docuit? quis sapientum adhuc in hanc venit cogitationem, ut cum æternitate tempus confundat? Annon tempus mensura est, quam vocant, mensurata in motu cœlesti? Annon mensura mensurans aliorum motuum? Quodsi tempus facis æternum, æternitatis mensuram facies aliquid in motu mundano, finitum infiniti, quo nihil absurdius. Dicit Socinus, *dies & noctes cursusque cœlestes nec tempus esse, nec ipsum efficere; sed metiri atque distinguere*; quod adsertum ut falsum non immerito explodimus. Nam verum est utrumque, dies atque noctes temporis esse differentias, insimulque tempus ipsum. Sunt enim temporis partes, partibus autem totum distinguitur. In specie vero sic argumentatur Goslavius: *Præsens non est factum, ergo nec tempus est factum.* Cui respondemus, quod præsens non sit factum seorsim & principaliter,

):( ):(

liter,

liter, ut aliquid per se subsistens; factum tamen esse in  
& cum creaturis non diffitendum. Ast negat Goslavius,  
*præsens esse factum, quia quod factum est, factum est in*  
*præsenti; præsens non factum est in præsenti; Ergo præ-*  
*sens non factum est; & deinde quia quod factum est,*  
*factum est motu divisibili; præsens non factum est mo-*  
*tu divisibili; Ergo.* Sed ad primum respondet B. Kes-  
lerus, eum loqui de eo, quod extra præsens, nempe  
de re, quæ fit in tempore, non vero de præsenti, qua-  
tenus est pars temporis, & in quo fit, quod fit: in se-  
cundo, negat minorem, dicitque, quum inciperet mo-  
tus cœlestis, tempus etiam quoque incepisse, & præsens  
fuisse terminum inchoantem temporis, tempusque incho-  
atum in motu incipiente. Ergo licet præsens terminus  
inchoans fuerit indivisibilis, tamen simul cum motu divisi-  
bile factum est. (k) Brevi: Mundus non est conditus in  
tempore (alioquin fuisset tempus ante mundum) sed cum  
tempore, hoc est, quum mundus cœpit, hæc ipsius affe-  
ctio cœpit: Nec tempus creatum esse dicimus, nisi ra-  
tione initii sui, quum ejus partes non simul esse, ut re-  
rum permanentium, liqueat. Initium autem fuisse autu-  
mo, instans illud extraordinarium, quo DEUS mundi  
systema procreavit; quod fuit solum initium futuri, nec  
simul finis præteriti; cujusmodi hodie sunt momenta.  
Ceterum certis olim imaginibus, tempus ejusque lapsum  
deformatunt veteres. Serapidis, ut ex antiquis numi-  
smatis notum est, triceps erat, in medio leonis caput  
vastum admodum, dextera parte canis applaudibundi,  
blan-

(k) Kesler, *Physic. Photin. exam. sect. V. princip. §.*

blandientisque, læva lupi, superne calathus insidebat, quæ species universa angvis habitu complexa est. (1) Ad solem hæc referebant: Leonis capite monstrabatur præsens tempus, ait Macrobius, quia conditio ejus inter præteritum & futurum actu præsentis valida fervensque est: sed & præteritum tempus lupi capite signabatur, quod memoria rerum transactarum rapitur & aufertur. Item canis blandientis effigies futuri temporis designabat eventum, de quo nobis spes, licet incerta, blanditur. In vertice stabat calathus, & altitudinem sideris monstrans, & capacitatis ostentans potentiam. Et quid quæso Germanorum veteres idolo suo, cui *Crodo* nomen indiderant, significari volebant? certe nihil aliud, quam tempus vel annum. Erat effigie vir senex, linea veste amictus, capite resecto, quia *tempus*, ut ille nescio quis dixit, *omnia revelat occulta & revelata occulit*. Dextra tenebat urnam, quasi cornu Copiæ, omni florum fructuumque genere abundantem: annus enim, ajunt, fruges educat, non ager. Sinistra volvebat rotam, inconstantiæ notam. Qua de causa etiam lubrici piscis perca aculeatæ, ut quidam volunt, tergo pedibus nudis insistebat. Tempus enim facile præterlabitur & prudenterprehendendum est: nam non usque quaque licet. Elapsum semel non ipse possit Jupiter reprehendere. Idolum hoc Carolus M. Hartenburgi invenit, dixitque detestatus: **Es ist der Crodo Teuffel.** (m) Quidam in natura ipsa DEUS effigiatum nobis voluit, & quasi umbram ob o-

):( ):( 2 culos

(1) *Macrob. Satur. l. 1, c. 20.* (m) *Crantz. in Sax. Albin. in Misnich.*

culos posuit. Ægyptii imaginem *Cynocephali* in horologiis urinam mittentis, temporis hieroglyphicum depingebant. Nam Cynocephalus duobus anni æquinoctiis, duodecies in diem, quot horis scilicet vesicam levare, idem & noctu faciendo, dicitur. Deinde de eodem referunt, quod ubi aliquanto tempore luna cum sole congregiendiens, expers est luminis, mas nec quicquam intueatur, nec vescatur; sed demisso in terram persistat vultu: femina etiam nusquam oculos contorqueat, misso insuper è genitali vase femine; & hæc causa est, cur ad hæc usque tempora in sacris nutriantur, ut nempe solis & lunæ conjunctionis tempus ex iis cognosci possit. (n.) Hac ratione Ægyptiorum plerique, & alii insuper populi partitionem diei in duodecim horas, & noctis itidem in totidem fuerunt edocti. Natura etiam fidissima rerum magistra, annum in duodecim menses distribui posse monstravit quondam & hodieque demonstrat. Siquidem in Indiæ occidentalis loco, qui vocatur ad divi Johannis de portu divite, nasci perhibetur *palma*, quæ singulis mensibus novas frondes coccorum nucum fœcundas ferat. Pierius in hieroglyphicis adserit, esse anni symbolum, quod per ortus lunæ singulos, singulos ramos progenerat, ex omnibus arboribus una. (o) Quemadmodum vero recentes illi palmæ ramuli cito oriuntur, crescuntque, subito etiam, nisi curentur, pereant & flaccescant; ita tempus hoc, in quo vivimus, perquam est mutabile. Nihil heic videas constare, nisi inconstantiam, cui obnoxium semper est tempus, & cum tempore nos omnes.

Quod

(n) *Jonston, admir. l. 7. c. 42.* (o) *Idem l. 5. c. 32.*

Quod floruit hodie, cras emarcescit & defluit. Quam  
fortuna ad summum honoris fastigium evexit, sæpius u-  
na die, quid una die? una hora, quid una hora? uno  
momento è præcipitio labitur. Heliogabalus parasitos  
ad rotam aquariam ligatos, cum vertigine sub aquas mit-  
tebat; rursus in summum revolutos, Ixionios amicos vo-  
cabat. (p) Fortuna alios in orbem evehit, alios è nubi-  
bus deprimit. Idcirco Orontes, aulicos præsertim, recte  
cum digitis arithmetorum comparabat, qui nunc de-  
cem millia, nunc unum significant. Quare sic tempore  
utamur, ut ejus volubilitatis, quodque perenni dilaba-  
tur cursu, recordemur. Nam quo die, sole in cancro  
versante, solstitium fit, natura verti jussit folia & esse  
confecti sideris signum, oleæ ante pedes fatæ & tiliæ ad  
mille usus petendæ, ulmi quoque & populi albæ, vitibus  
nuptarum; alia parte cœlum respiciunt, quam qua spe-  
ctavere peridie, ut ait Plinius (q) Tempus, mihi crede,  
vertit omnia: *tempora mutantur, & nos mutamur in ipsis.*  
Alba populus in perpetuo motu est, nec unquam quie-  
scunt folia, etiam cum silet aura. Sic tempus nunquam  
tranquillum est placidumque: perpetuam amat vicissitu-  
dinem, & nobis non sentientibus diffluit. Tradit Biceris  
Geographus in descriptione regionum & itinerum Africae,  
hominem itineris tædio fatigatum, sub vesperam, eminens  
in deserto saxum, ne à venenatis animalibus infestaretur,  
conscendisse, qui ad lucem graviter dormiens, tribus fe-  
re passuum millibus, à quo reclinaverat loco, traductus,  
intellexit, quod subiisset saxum, & eundem fuisse, quæ  
in-

(p) *Ælius Lamprid. in Heliogab.* (q) *Plin. l. 18. c. 28.*

interdiu firma , noctu rependo pabularetur , verum adeo  
lente , ut vix percipi posset. (r) Sic abit tempus , & ci-  
tius , quam opinamur. Bene igitur , sui quod est offi-  
cii , agunt , qui sibi dum tempus est , dictum putant:  
*Tempori serviendum.* Ex uno die , tantumne ? imo ex u-  
na hora , ex uno momento hominis salus , spes , vita ,  
res , fortuna & omnia dependent. Hoc secum discipuli  
nostrates , examine anniversario feliciter peracto , sibi  
curæ esse voluerunt , temporis naturam , quæ quælibet  
anni pars , quæ quilibet mensis mortalitati præbeat com-  
moda , exactius consideraturi ; qua fini illorum sedecim,  
quos videbis versa facie primæ hujus scripti paginæ , ora-  
tiunculas carmine patrio excuderunt , quas crastino die à  
meridie constituto tempore locoque , recitabunt. Hos  
ut benivole audias , humanissime lector , illorumq; conatibus  
velificare velis , est quod enixius oro rogoque. PP. Vi-  
nar. d. 3. August. anno 1710.

(r) *Leo African. l. 9.*





Datum der Entleihung bitte hier einstampeln!

7 S 27

1993

31. Mai 1997

k  
2 H

AK  
Silber

KB

Bo  
ya  
Bo  
ya  
sic

nine  
rust

he-  
rk

SÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0129646

BS 19/280 JG 162/6/85

